

1755

## C O D I C E S

1756

*fedum finitum est proxima feria VI. ante wenceslaj, Sub Anno domini millesimo quadringentesimo Tricesimo Nono.* Adjunctum hic fuisse videtur Autoris Nomen, cui eraſo invidus quidam superinduxit: *Compiler ignoratur*, fortasse, quod *Vulcanum* metueret *Huffitarum* Scriptis olim sine discrimine imminentem, ut plurimum *Codicum* exemplo doceri posset.

## CCCCXLVI.

486 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 262. 4. ſat bene ſcriptus et rubricis enotatus est *Summa* quaedam Theologica absque Titulo et Autoris nomine in *Alphabetum* digeſta, cujus primus Articulus est *Absolutio* et initium, ut ſequitur: *Absolutio dicitur tripliciter ſcilicet Absolutio auctoritatiua. que ſoli deo convenit. Absolutio denunciatiua ex officio que ſacerdotibus limitatur.*

*Et Absolutio diſpoſitiua, qua quis diſponit ſe per veram contritionem ad ſoluendum propria vincula peccatorum &c. Ita deinceps Abſtinentia. Abuſiones duodecim. Acceptio Perſonarum. Accidia. Accuſatio &c.* Textibus Scripturae, Juris Canon. et Patrum ſua ſtabilit Adſerta Noſter. Recentiſſimos citari video *Hugonem Victorin.* et *Robertum Lincoln.* illum XII. hunc XIII. Sec. Scriptorem, quin et *Doctorem ewangelicum*, quo nomine apud *Bobemos* ſibi adhaerentes *Job. Wicleffus* fuit. Cujus itaque Scholae fuerit, patet ex Articulo de *Eccleſia*, ubi: *Eccleſia katholica eſt congregacio fidelium predeſtinatorum et iuſticatorum.* Item: *Eccleſia militans eſt corpus predeſtinatorum dum hic viat ad patriam.* Quae Sententia eſt inter *Job. Huſſi* damnatas in Synodo *Conſt.* Similia obſerves in Artt. de triplici Mendicatione et de *Papa.* Ad calcem:

*Fruſtus adeſt operis mercedem chriſte dona laboris  
Nomen ſcriptoris ſi tu cognoſcere uelis  
Ma tibi ſit primum thy medium aſque ymum.*

Si *ro* *Scriptoris* denotaret ipſum hujus *Summae* *Compilerem*, ſuſpicari quis poſſet, *Matthiam* hunc eſſe a *Panow*, *Lanow*, ſeu *Janow* Theologum *Pragenſem* a 9. in Academia *Parifiſina* exactis annis dictum *Parifiſem*, de quo *Lupacius* in *Ephem.* ad diem 30. *Novembr.* et *Balbinus Bob. doct.* P. II. p. 177. Quem Virum quamvis et poſterior hic et ſe-

cundus Editor ejus Catholicis accenſere conentur, haeret mihi tamen in Profeſſione Fidei *M. Jobannis Przibram* apud *Cochlaeum Hiſt. Huſſit.* p. 540. *Articulus L.* in quo *M. Matthiam M. Jobanni Huſſi* conjungi video. Quoniam vero in *Summa* noſtra non ſemel citatur *Parifiſis*, ultra ſuſpicionem ſupra motam vix quoquam progredi fas erit,

1757

P O L E M I C I

1758

erit, nisi dicas *Matthiam Parisiensem* se ipsum, ut Autorem a se diversum, citasse, quod vix probabile. *Codicem* porro in *Bohemia* scriptum testantur Membranae duae eum ambientes, quarum anterior continet Notitiam publicam *Census mediae Sexagenae grossorum denariorum Pragensium* venditi a *Wenceslao Waijgharth* Cive *Eylaviensi Nicolao* Plebano in *Gerczan*, Cujus testes *Jacobus anas Cuba judex* — — *Frana Sutor. Joannes Mudry. Wencesl. Synek. Martin. Holecz. Johannes doleator.* Datum et actum in *Eylav*. Anno domini *Millesimo quadringentesimo XVI<sup>o</sup>*. feria tertia post octavam epifaniae domini. Posteriori fidem facit *Nicol. Werkmeister Judex* et *Nicol. Coblenz Magister civium* cum aliis Consulibus *Civitatis Zacen*. a *Nicolao de Strancz* certam *Grossorum Pragensium* Summam perfolutam esse *Bertoldo Kezlen*. Notae temporis abscissae fuere.

CCCCXLVII.

487 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 259. 4. manu difficili minute scriptus, foliis cum in medio, tum in fine mutilatus, multumque fitu passus est *Concordantia IV. Evangelistarum*, cujus Prooemium incipit: *Lex seu doctrina evangelica perfectissima est per se sufficiens ad regimen ecclesiae militantis cui non licet quicquam addere uel subtrahere &c.* Ita totidem paene ver-

bis *Joh. Hussus* in *Scripto de Sufficientia legis Christi*, T. I. Opp. 1715. p. 55. *Lex Jesu Christi est sufficientissima, requisita ad regimen Ecclesiae militantis, cui non licet quicquam addere vel subtrahere.* Ut adeo ab hac Thesi Magistri Tractationem suam auspiciari voluisse videatur Discipulus aliquis, aut Tractatio ad ipsum *Hussum* referenda fit. Atque posterius istud aliquam inde veri similitudinem nanciscitur, quod, quamvis inter *Hussi* Opera nemo *Concordiae Evangelicae* meminerit, nostra tamen praesens cum *Ejus Historia Gestorum Christi et Passionis Christi ex 4. Evangelistis in unum collecta* P. II. Opp. p. 1. et 8. non parum conveniat, haecque duo Opuscula majoris Operis veluti Compendium haberi queant.

*Codicem* anno 1516. possedit Sacerdos *Bobemus* ille *Wenceslaus Rossa Cbrudimens.* cujus plura κτηματα jam haecenus retulimus.

CCCCXLVIII.

Codex chartaceus lat. boh. 668 Sec. XV. Folior. 189. 4. currente calamo, non una manu conscriptus *Sermones* continet in *Dominicarum Evangelia* et *Epistolae*, non observato temporis ordine, nec deductos semper, sed non raro συνοπτικως exhibitos. Ita Thema Sermonis I. *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Joh. XV.* mox sic digeritur: *Et sic sermo erit*

M m 3